

1361

D O G M A T I C I.

1362

no. IV. de Regno Coelorum. V. de S. Valentino Ep. et Conf. mutilus, anni 1461. VI. in illud: *Quicumque vult salvus esse &c.* addito ad calcem nomine *Leon. Praxatoris.*

CCCXLVIII.

794 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 224. 8. currente calamo, non tamen eodem, partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, olimque e supellectili faepe dicti Sacerdotis *Bohemi Wenc. Rossae* Collectanea Theologica complectitur, quorum Rubricas edifferere sufficiet: *Equiuoca*, potius Etymologiae et Significata variorum Verborum ordine alphabetico. *Fol. 7. Definitiones* variae Rerum ad Theologiam pertinentium, item alphabeticae. *Fol. 14. Auctoritates Noui et veteris Testamenti sanctorum doctorum et uniuersalis ecclesie contra Communio- nem Infantium.* Incurrunt etiam alia Sacramenta. Citatur inter alios *Doct̄or evangelicus* sive *Job. Wiclefus* et *Job. Hufs.* *Fol. 43. p. 2. Pulcer tractatus contra Saraboitas*, qui mox adpellantur *moderni valdenses discolisantes per Montes et Campestria*, item *Pigardi* et *Pikanstones.* Constat Testimoniis Auctorum. *Fol. 50. Index* prolixus Locorum Biblicorum pro variis Fidei, Morumque argumentis. *Fol. 159. p. 2. Scripta que probibent accessum communionis indigne*, cum Elencho eorum, qui in Regno *Bohe-*

miae et Marchionatu *Moraviae* a sacra Mensa arcentur. *Fol. 173. Tractatus pro Vita hac et futura Cristianis necessarius.* Fanatici cuiusdam de futuro Christi Regno praedicientis. *Fol. 183. Concordancie* in sacras Literas alphabeticae.

CCCXLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 795 XV. Folior. 217. 8. ejusdem cum praecedente rationis, illiusque velut Pars altera inscribitur: *Excerpta de tabula originalium sanctorum*, est vero Congeries quaedam alphabetica Locorum Scripturae et SS. PP. Ascetis et Praedicatoribus opportuna, quae ab *Aaron*, *Abbas*, *Abel*, *Abraham* &c. protenditur ad *Xpianus*, *Zacharias*, *Zelus*, pertinuitque pariter ad supra dictum *Rossam.*

CCCL.

Codex membraneus lat. Sec. 479 XII. Folior. 143. 4. luculente scriptus, rubricis distinctus et olim *Monasterij Sancte Mariae alias Scotorum Wyenn.* complectitur Sequentia: I. *Elucidarium* III. Libris distinctum, quem olim *Anselmi Cantuarien.* nomine, quod quidam Codices mfs. praeferunt, primus edidit *Claud. Espencaeus Paris.* 1560. *Gabr.* vero *Gerberonius* in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. merito inter Spuria relegavit *append. col. 457.* Scrip- toribus aliis in *Lanfrancum Anselmi* in *Monasterio Beccensi* Prae- ceptorem,

ceptorem, aliis in *Guibertum Novigentium*, aliis in *Guil. Conventriensem Carmelitam*, aliis denique in *Honorium Augustodun.* Sec. XI. Autorem inclinantibus, in quorum numero et Codex noster est, qui inscribitur: *Incipit Prologus In Elucidarium honorij dyalogicum*; quanquam ultima duo verba non a prima manu sint, et, licet tam in Libello de *Luminaribus Ecclesiae* ipsius *Honorii*, quam apud *Trithemium* dicatur *Honorius Elucidarium in tribus Libellis, primum de Christo, secundum de Ecclesia, tertium de futura vita* scripsisse, haec tamen divisio non optime congruat praesenti nostro *Elucidario*, in quo mira est Quaestionum varietas, ut recte observant etiam *Autores Hist. liter. Franciae* T. IX. p. 443. Quid quod *Elucidarii* nomen aevo praeterito pluribus lucubrationibus inditum esse in comperto sit. Rem itaque in medio relinquimus, illud adnotare contenti, Prologi initium esse: *Sepius rogatus a discipulis quasdam questiuunculas enodare &c.* Finem vero totius operis: *et uideas bona iberusalem omnibus diebus vite tue. Amen.* Lectiones variae non desunt.

II. fol. 66. p. 2. *Interrogationes de Parabolis Salomonis.* Eadem prorsus, qua *Elucidarius*, methodo. Unde, si is *Honorii* sit, *Interrogationes* quoque ad illum referre par est. Tacent quidem de his cum *Honorius* ipse, tum *Trithemius* *suprac.* editas tamen esse ipsius nomine insignes

Coloniae 1540. 8. testatur *Fabricius Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 280.* atque inde in *Bibliothecas PP.* receptae sunt, ut *Lugd. T. XX. p. 1140.* Quamvis vero ibi in praevia *Ant. Hierat* Lectoris Admonitione recensitae dicantur ab *Andrea Schotto* viro certe eruditissimo, destitutum tamen hunc fuisse, quod ibi candide dicitur, membranarum antiquis calamo exaratis vel *Codex* hic noster palam facit. Ut enim Quaestiones illas isagogicas, quas N. *seq.* attingemus, rectius *Proverbiis* seu *Parabolis* praefixerit *Schottus*, caruit tamen *Interrogationibus* aliis XV. quae proprie εἰσαγωγικαὶ in *Parabolas* constituunt, et in *Cod.* nostro praesto sunt. En earum initium: *Interr. Parabole qua lingua dicuntur? Resp. Greca. latina uero interpretantur similitudines.* *Interr. Quare salomon huic libro istud nomen imposuit? Resp. Ut per hoc demonstraret. quia non iuxta literam sed altius et spiritaliter intelligere debemus. quae dicit.* *Interr. Quid significabat salomon quando per parabolas locutus est? Resp. Dominum ihesum christum qui per parabolas locuturus erat turbis iudeorum. Nam et ipso nomine suo eundem dominum ihesum christum significat. &c.* Multae praeterea per decursum *Interrogationes* cum suis *Responsis* desunt in *Impressis*, cumque illa in hac *Interrog.* *Iste filie quas diuitias congregarunt?* sistant, *Codex* noster pertexit totas *Parabolas* adiciendo VI. *Interrogationes* in ultimos 2. Versus: *Fallax gratia &c.*